



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Soluuntur obiectiones contra dicta capite præcedente. Cap. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

enim ab hominis natura est alienum) sed certe ut ab omni commotione animi, motique turbulento vacuus videretur. Eratque id consequens, ut cum calidus natura, corporis, que constitutione biliosus esset, propter summam tamen lenitatem, quam in omni sermone, vitæque consuetudine adhibebat, frigidus ipsis medicis, lentusque potius videretur. Sed eo quod in interiori affectu vitiosum erat, edonito, actio ubi opus erat, vigebar: neque animi summa moderatio, vim efficiendi vllâ ex parte minuebat.

4. par. 6. de charit. 6. 6. de fuit. Sed adhuc clarus id Sacra Rotæ Auditores in Relatione pro eius Canonizatione datâ, ut moris est in scripto, Paulo V. examinatis deponitibus sexcentorum, & septuaginta quinque testium inratorum, statuerunt aliquot in locis dictæ Relationis, illum habuisse pacem interiorē, & dominium omnium suorum motuum & passionum: idque peperisse admirationem aliis, quod semper fuerit in eadem animi dispositione, nec vnquam se turbasse de aliquâ re, & semper fuisse animo tranquillo. Postea in alia Relatione impressa data Greg. XV. in Cōfistorio secreto coram omnibus Cardinalibus, nomine Congregationis Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, à Francisco Maria de Monte Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali, & Præsidente dictæ Congregationis, cum dicta Cōgregatio Cardinalium examinasset supra citatâ Relationem S. Rom. Rotæ, eamque (quod aliis quibusdam Relationibus non contigit) amplexa esset, & comprobasset, luculentius adhuc testimonium dedit aliquot in locis.

16. ca. Primò tractans de Charitate Ignatii erga Deū, Ex his, inquit, oriebatur magnum illud gaudium spirituale, quo hic seruus Dei plane repletus, ac referens erat illa serenitas quam semper in vultu præferebat, illa pax interior animi. & illa potestas, ac dicitur, quam in suos motus, & perturbaciones obtinebat. Fuisse autem in S. Ignatio hoc passionum eius dominium, non exiguum, sed summum, sic Secundo dicunt Cardinales Sacrorum Rituum, explicâtes animi eius magnitudinem: Et quoniam, inquit, cōmotio suarum, & perturbacionum, ut diximus, dominium obtinuit perfectissimum. De S. Francisco Xaerico scribit Turfellinus: Omnes animi motus domitos cōpressoque in sua ditione ac potestate habuit. Hinc illa perpetua mentis tranquillitas, & idem semper vultus. De P. Balthazare Alvarez scribit P. Ludovicus de Ponte in eius Vitâ, eum Diuino beneficio obtinuisse, sui ipsius, & affectuum omnium tam exactū dominium, ut nemo illum turbatum, aut iratum viderit; Passiones enim que antea illum impediabant, postea non solum non nocebant, sed rationi ipsi obtemperabant in iis, que illa iubebat.

6. Nyl. 4. ca. 6. 9. Th. 1. 2. q. 17. 2. 7. Nulli ergo dubium esse potest, posse Dei seruos in hac vitâ, beneficio Diuine gratiæ, assequi perfectissimum suarum passionum dominium. Merito ergo S. Gregorius Nyssenus à S. Thoma citatus, cum S. Thoma afferit, appetitum sensuum subiecti rationis imperio quo ad aliqua, esse quo ad dispositionem corporis non subiacet imperio ratio-

nis, sicut & membra corporis, quibus opera sensitiua partis exercentur, subduntur rationis imperio, ut S. Thomas alibi ait. Merito quoque Christus Dominus tradens Regulas 20. B. M. Magdalene de Pazzis de modo bene viuendi, regulam vendicimam talem ei dedit: Sis dominatrix tuarum passionum, petendo talem gratiam à me, qui sum dominator omnium creaturarum. Si enim impossibile esset dominium passionum, ad hoc acquirendum Dominus dilectam suam Sponsam non excitasset, nec suam ad id opem obtulisset, illius precibus impetrandam. Deus enim, ut cum S. Aug. & Concilio Arausicano, & S. Hier. ait Concil. Trident. impossibile non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adiuuat ut possis. Merito quoque apud S. Ioannem Climacum quidam Sanctorum, dans ei varia monita acquisitu possibilia, hoc quoque tradidit: Affige in anima ligno (quam crucem dicimus incudem, videlicet mentem, ut per alternos malleorum ictus & crepitus percussa, ludibriis, & maledictis, irrisionibusque lacepsita, iniuriis affecta, infracta, & in nullo laesa, seu dissoluta perseverans, tota lenis, & plana, immobilisque persistat. Irrisiones horis singulis, ut aquâ bibes. Hic autem status est omnium acquisitu difficillimus. Si ergo id potest acquiri, etiam aliarum passionum facilius erit mortificatio.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Soluuntur Obiectiones contra dictâ Capite præcedente.

Obiectiones Primò. S. Ambrosius expresse asserit: Grauisima causa culpa conscientia, quam tamē ratio emollit, & comprimit. Emollire enim potest, eradicare non potest, quoniam animus, qui est rationis capax, non est suarum passionum dominus, sed repressor, ergo nullus in hac vitâ, iudicio S. Ambrosij, potest acquirere suarum passionum dominium, siquidem earum dominus esse non potest.

Respondeo iuxta Theologorū, & Philosophorum moralium receptam ab omnibus doctrinam, duplex esse dominium: vnum despoticum, aliud politicum, seu civile. Illud est, in homine sano & non impedito respectu sui corporis membrorum, quæ ad minimum eius nutū mouentur, & à motu cessant, & nunquam ei resistunt: Hoc est Prætoris, vel Consulis in Ciuitate respectu ciuū, qui etsi sepe obediunt, sepe tamen resistunt, & non obediunt. Et ita Aristoteles cū S. Thoma receptus docet, Rationem præesse irascibili, & concupiscibili non principatu despotico, qui est Domini ad seruū, sed principatu politico, qui est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio. Hoc S. Basilio cœuat: Sunt, inquit, corporis affectiones violentæ quidē, si otiosa in nobis sit ratio; morigeræ verò, si illa præsideat, & gubernacula moderetur. Quādo S. Ambrosius negat animum esse suarum passionū Dominū, sed repressorē, loquitur de Dominio despotico, non verò negat posse eum habere tale dominium, de quali



quali disputamus. Quod euidenter ex pluribus S. Ambrosij sententiis ad confirmandum hoc quod dicimus valituros apparebit.

l. de Cain & Abel. cap. 1. 68.

Nam in Moyse agnouit tale dominium. Sic enim de eo scribit, ponderans illa Dei ad Moysen verba: Posui te Deum Pharaonis: Etenim, inquit, victor passionum omnium, (quod idem est, ac si diceret, factus passionum omnium Dominus) nec vllis captus seculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem, caelestis puritate conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subiciens, & regia quadam autoritate castigans, nomine Dei vocatus est; ad cuius similitudinem se perfecta virtutis vbertate formauerat. Quae omnia is conueniunt, qui habent perfectum omnium suarum passionum dominium.

69. l. de Noe & Arca. cap. 9.

Posse autem & debere etiam nos aspirare piis conatibus & studiis ad passionum dominium, sic ait S. Ambrosius in loco alio: in quo cum ostendisset, quantoperè post perditam peccatis innocentiam paradisiacam (quae passiones omnes coeercebat) nunc miserae seruituti subiciat hominem libido, & alia cupiditates (hoc est passiones) monet, vt in hoc vite huius diluuiio menti vigor intra istam arcam includat omne genus animantium, quod est super terram, scilicet passiones nostras. Modum autem hunc praescribit: Cohibe, inquit, & tu irrationabiles passiones tuas, omnesq; sensus tuos menti subice, animique imperiis: hoc est, dominio passionum assuesce. Euolare foras non sinas cupiditates tuas, exire in vulgus libidinem, & per rationabilem mentem poteris etiam irrationabilia tua (scilicet passiones inordinatas & irrationabiles, & praeter eas passiones) & immunda peccata ab omni periculo diluuij liberare. Quibus verbis manifestè indicat, posse nos assequi nostrarum passionum omnium dominium.

70. l. de Noe & Arca. cap. 25.

Sed adhuc clariùs alibi S. Ambrosius ostendit nos posse perfectissimum dominium passionum acquirere, tale quodammodo, quale habet rusticus super sua olera: Ponderans enim illa verba Dei: sicut olera pabuli dedi vobis omnia; Secundum altiorum, inquit, sensum hoc dictum est: quod irrationabiles passiones, ita debeant menti sapientis, vt olera rustico esse subiecta: atque ita vitamur reptilibus cogitationibus, vt agricola oleribus, quae licet obesse non possunt, cibi tamen non habent gratiam fortioris. Generale enim omnibus & commune praecipit, non altiora indicit genera virtutum, quae vtiq; paucorum sunt: sed etsi quis virtutum epulas fortiores sibi exhibere non possit, huiusmodi tamen habeat passiones, quae non noceant, sed delectent, nimirum cooperando ad actiones virtutum.

71. l. de Isaac & anima. cap. 3.

Idem alio in loco, Decora inquit, est anima, quae passiones corporis subigit, & ad virtutum officia conuerit, repugnantesque motus sibi obedientes efficit. Atqui hoc praestat dominium passionum, habere motus obedientes passionum. Idem in eodem libro sic describit dominio passionum praeditum: Praesidet vnusquisque sibi quadam potestate (scu

cap. 4. 72.

dominio) regali, si coeerceat in se corporis luxus, & seruituti redigat carnem suam. (dominium autem & seruitus sunt correlatiua, vt loquuntur Philosophi.) Ideoque dictum est, Regnum Dei intra vos est. Qui autem est Rex suarum passionum, & cuius caro serua est, Dominus est suarum passionum & carnis. Quocirca agnouit S. Ambrosius posse haberi in hac vita dominium passionum, etsi non despoticum, sed politicum, seu ciuile.

Et alibi: Etsi vis quadam natura in omni appetitu l. i. Offic. sit; tamen idem appetitus subiectus est lege natura ip. cap. 47. suae, & obedit ei. Vnde boni speculatoris est, ita praetendere animo, vt appetitus neque praecurrat rationem, neque deserat, ne praecurrendo perturbet, atque excludat, eamque deferendo desituat.

Omnes Secundo. S. Paulus Apostolus procul dubio fuit sanctior omnibus aliis, qui scribuntur habuisse perfectum dominium suarum passionum; ille tamen videtur non habuisse eorum dominium, quia scribit de se: Video aliam legem Rom. 7. in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captiuam me in lege peccati, quae est in membris meis; quae repugnantia procul dubio oritur ex passionibus, cum quarum dominio non potest consistere, ergo nec alij hoc dominium possunt habere in hac vita.

Respondeo Primo An Paulus habuerit perfectum passionum dominium tum dum hoc scriberet, ex Scriptura & Historiis Ecclesiasticis directè id non constat. Credibile est habuisse, quia habuit virtutes eximas in S. scriptura relatas. Ideo meritò Abbas Theonas post citatum locum in Coll. 23. obiectione allatum, dicit c. 2. Nihil fuisse boni, cuius perfectione caruerit Paulus: quamuis stimulus carnis non caruerit. Non est autem necesse, vt quò quis est sanctior, habeat passionum dominium. Deus enim magnis Sanctis quadam reliquit ad humiliationem eorum, quae Sancti minores non habent. Exempli gratia S. Thomas Aquinas, B. Aloysius Gonzaga, non habuerunt stimulus carnis, & tamen hi non fuerunt tam magni Sancti, vt fuit S. Paulus Apostolus, què h. 25. ad caelo anteponit S. Chryostomus, & alio in loco pop. ait, Neminem ex omnibus qui solem aspicunt, Paulo iustiorum fuisse, neque post hominum memoriam quam aspersione illa, passum esse: ille tamen passus est stimulum carnis, vt ipse de se scribit hoc est, veras tentationes libidinosas carnis: vt sentiunt S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Thomas, & alij citati à Cornelio nostro in Comm. Ideò Av. 2. Cor. 11. stoteles obedientiam appetitus sensitiui erga rationem comparauit cum motu membri paralytici, quod non semper ex hominis voluntate, sed aliquando praeter, & contra illam mouetur. Quemadmodum, inquit, resoluta corporis membra si ad dexteram mouere volueris, è contrario in sinistra deferuntur: sic quoque in animam contingit, in contrarias enim partes sustinentium appetitiones feruntur.

Respon-

Responsio Secunda. Sicut alia virtutes habent suos gradus, ita & dominium passionum non esse in omnibus aequale, idem potest cum eo consistere aliqua passio inordinata rebellans rationi in certa aliqua materia, sicut & cum virtutibus eximis possunt esse aliqua parua peccata, quae magis foedant animam, quam involuntarij motus passionum inordinatarum. Magna est Omnipotentis Dei dispensatio, inquit S. Gregorius Papa, & plerumque contingit, ut quibus maiora bona praestantur, habeat, unde se reprehendant, quatenus dum appetunt perfecti esse, & non possunt, & laborant in hoc, quod non acceperunt, nec tamen in laborando praevaleant, ne in his quae accepta habeat, se maxime extollant, sed desunt, quia ex se meritis vincere parua vitia atque extrema non possunt. Hoc de se ipso scribit Apostolus: Ne magnitudo Revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, Angelus Satanae qui me collaphizat. Sic in S. Isaac ad S. Gregorio loco citato laudato, virtutibus, miraculis, & dono prophetiae clavo Deus reliquerat nimiam quandam laetitiam, reprehensione dignam. Quia ut idem S. Gregorius ponderans illa verba, Obtenebrentur stellae caligine eius, scribit: Stella huius noctis caligine obtenebrantur, quando & hi qui magni virtutibus splendunt, adhuc de obscuritate culpae aliquid retinentes sustinent, ut etsi iam magna vita claritate luceant, tamen adhuc noctis reliquias (scilicet passionum motus involuntarios) nolentes trahant. Verè enim passionum motus inordinati sunt reliquiae & originalis peccati, & actualium peccatorum, per quae excitantur. Potest de talibus proportione quadam idem dici, quod dixit Dominus cuidam devotae de defectibus S. Gertrudis Virginis Ordinis S. Benedicti: Electa huius meae, qui videntur defectus in se plus vocari possent anime eius profectus. Nam gratiarum abundantiam, quam in ea continuo operor vix humana posset fragilitas à vento manns gloria tueri, nisi virtutes eius cognitioni, sub defectibus absconderentur. Nam quomodo ager quanti fuerit simo vberiori impinguatus, ed ditiozem quoque necesse est reddat segetem; ita haec quoque ex cognitione sua instrumatis, abundantiozem mihi refert fructum gratiarum actionis. Eam ob rem quoque pro singulis defectibus, unde se adeo humiliat, singula ei largitus sum dona, huiusmodi videlicet, quibus in oculis meis omnem aecat imperfectionem abolere. Nihilominus tempore opportuno, cum omnes defectus eidem mutauero in virtutes, ut splendendum lumen anima eius fulgebit. Sicut autem Deus permittit in nobis remanere quosdam defectus, ita relinquit in nobis fomitem peccati seu concupiscentiam, ut ait Abbas Daniel apud Cassianum, & Concilium Tridentinum, ad agonem, id est, ad certamen; sic tamen, ut non consentientibus, sed per gratiam Christi Iesu viriliter repugnantibus, nocere non valeat, quin imo ad coronam multum proficit. Athletae nullus coronatur, inquit S. Gregorius Nyssenus, qui non legitime certauerit. Certamen porro non est legitimum, si

nullus quocum pugnes, adsit adversarius. Quamobrem si adversarius non est, corona non erit. Victoria enim, nisi aliquid victum sit, esse non potest. Et ita Deus Pater S. Catharinae Senensis dixit de fomite: Perversa lex, qua membris vestris est alligata (scilicet fomes) mihi Creatori vestro sepe rebellans, non compellit ad peccandum, nisi sponte consentiat aliquis, ergo solummodo spiritum impugnat. Non concessi autem eam hominibus, ut ipsi vincerent, atque succumberent, sed ut ipsi vincerent, & sic in manibus eorum augmentaretur, & probaretur virtus, pro eo, quod virtus nullo modo probatur, nisi per oppositum. Et aliàs eisdem dixit: In vobis habetis legem perversam, quae quotidie contra spiritum pugnat. In vobis enim sunt duae partes, videlicet sensualitas, atque Ratio: Sensualitas omnino seruire debet anima: idcirco vobis à meà bonitate concessa, ut ipso corpore mediante probetis, & in vobis virtutes exerceatis. Liberum autem arbitrium voluntati colligatum, & unitum, & cum ea concordat, in medio consistit inter Sensualitatem & Rationem, & ad utramque partem, ut ei placuerit, vertere se libere potest, vel inclinare. Et ego per gratiam in medio eorum consisto. Et hoc est quod veritas incarnata voluit exprimere dicens: Vbi duo sive tres congregati fuerint in nomine meo, ego ero in medio eorum. Immo non tantum ad certamen & meritum relicta est fomes, sed etiam, ut bene docet Cassianus, causa utilitatis. Hinc motus carnales non solum in pueris, in quibus adhuc innocentia boni mali quae praevenerit differentiationem, verum etiam in parvulis atque lactentibus, ob reparationem sobolis, & posteritatis propaginem suscitandam, vtiliter sunt corpori nostro providentià Creatoris inserti, non ad perpetranda stuprorum flagitia, & adulteria, quae legis etiam auctoritate damnantur. Ira etiam aculeos, nonne saluberrime in nobis intelligimus attributos, ut nostris viris, & erroribus irascens, virtutibus potius, ac spiritualibus studiis occupemur, omnem charitatem Deo, & patientiam nostris Fratribus exhibentes. Tristitia quoque vtilitas quanta sit novimus, quae cum in contrarium affectum mutata est, inter cetera vitia communeratur. Est enim & secundum Dei timorem pernecessaria, & secundum seculum admodum perniciosa, ut docet Apostolus, dicens: Quae enim secundum Deum est tristitia, poenitentiam ad salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia mortem operatur. His similia de affectibus hominis docuit Lactantius, & melius S. Basilius, S. Ildorus Pelusiota, & Abbas Daniel. Quod tali similitudine declarat S. Gregorius Nyssenus oratione de Christi Nativitate: Quemadmodum videre licet, dum serpentes interficiuntur, non statim vna cum capite posteriorum partium volumina emori, sed caput quidem emortuum est, postrema verò partes, suis spiritibus etiam nunc animatae vigent, nec vitali motu priuatae sunt: ita draconis quoque intersector, cum magna bestia euassisset, capere caeso, hoc est malorum inuentrice vis, quae multa in sese haberet capita, subacta, posteriorum partium tractum nihil curavit, quod operam dedisset, ut exercitationis causa insequentibus hominibus, in mortuam bestiam motus relinqueretur, qui vna cum vita

dial. c. 98.
dial. c. 51.
Matt. 18.
20.
1.7. inst. cap. 3.
2. Cor. 7.
10.
Lact. 1. de ira Dei c. 18. & 1.6. inst. cap. 19.
Bas. h. de ira. l. 1. 2. cap. 319.
Cass. Col. 4. c. 13. & 15.



humanâ satus, quoad humanum genus erit, semper squamâ peccatâ cristam vndique exasperat, & induvat.

Obicitur Terriò Si potest fomes peccati, qui est causa passionum, diminui per profectum in virtutibus, & per Eucharistiâ piâ summptione, vt supradictum est, & hac ratione quoque acquiri passionum dominium, sequeretur posse feruentissimos Dei seruos semper proficientes, & deuotissimè SS. Eucharistiâ recipientes, præsertim eam in sacrificio Missæ offerentes Deo, diuissimè viuendo, totum fomitem peccati penitus extinguere, quod post Christum Dominum de solâ B.V. Maria asseritur. Cùm enim fomes peccati infinitus non sit, si quotidie, vt dicit S. Augustinus supra citatus in proficientibus minuitur, tandem totus exhaurietur, & abolebitur, per continuum: & multorum annorum in virtutibus præsertim heroicis profectum, in quo dicitur acquiri profectum dominium passionum inò potius cum S. Augustino dicente. *Concupiscentiam posse minui, non posse consumi.* Idèò Respondeo cum Suario, etiam si quotidie diminueretur fomes peccati in se finitus, nunquam tamen à nobis auferetur, quia nullus Sanctorum acquireret tantam plenitudinem gratiæ, & virtutum, & donorum Spiritus Sancti, & ita specialia auxilia Diuinæ prouidentia auertentis obiecta, aut non permittentis vt phâtasiam excitent, etiam si adint, quanta data fuerant B. V. Mariæ, vt ab eâ fomes peccati totaliter auferretur: Deus enim neminem Sanctorum prædestinauit ad tantam gratiâ, & gloriam, ad quantam eueit B. Virginem Mariam, eò quòd eam fecit Matrem Dei, quâ dignitate infra Christum nulla potest esse maior, nec alia illi æqualis; ac proinde nec gratiæ plenitudo, & virtutum, ac donorum Spiritus Sancti, & extrinsecorum auxiliorum Diuinæ prouidentia, vlli dabitur tanta, quanta esset necessaria ad auferendum totaliter fomitem, & quanta data est Matri Dei: quia non nisi, per certum gradum plenitudinis, gratiæ, & virtutum, & donorum Spiritus sancti, ac auxiliorum extrinsecorum ligari, & auferri potest, vt ablatus fuit in B. Virgine.

Confirmo hoc præclarâ S. Gregorij Papæ doctrinâ: *Quia nonnunquam, inquit, proficere in virtutibus conamur, & quedam dona percipimus, à quibusdam verd repulsi in imis tacemus. Nemo enim est, qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat: quia Omnipotens Deus interiora discernens, ipsis spiritualibus profectibus modum ponit, vt ex hoc quod apprehendere conatur, & non valet, in illu non se eleuet, quo valet.* Hinc cum S. Gertrudis Virgo fuisset quasi in excessu mentis effecta, diuinitus congnouit, vt scribitur l. 3. c. 9. eius gestorum, *quàm mirâ & ineffabili dignatione diuina pietas quandoque condescendat homini, copiosè gratiam suam infundendo, & quandoque minora denegat, ad conseruan-*

dum humilitatem, quæ est fundamentum, & conseruatorium gratiarum, & qualiter vtrumque hoc Dominus amanti animæ facit cooperari in bonum.

Et hæc est causa, quòd S. Thomas aliquot in 80. locis dixerit, temerarium esse existimare aliquos Sanctos atigisse gradum gloriæ, quem habent Apostoli in cælo: eò quòd Deus elegerit eos ad supremam omnium dignitatem in Ecclesiâ, quæ sit infra Christum, & B. Virginè, idèò illis dedit proportionatam gratiâ, & gloriam, omnibus aliis hominum statibus maiorem, quod etiam tenuit B. Laurentius Iustinianus. Quia, vt bene docet S. Thomas illos quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat, & disponit, vt ad id, ad quod eliguntur, aueniantur idonei, secundum illud, 2. Cor. 3. *idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* Alios autem iustos non prædestinauit ad tam excelsum gratiæ, & gloriæ gradum. Quânis enim iustus dum viuunt, semper potest in gratiâ crescere, vt est communis opinio Theologorum, bene probata à Tanner (quod absolute loquendo de fide est, vt bene probat Suarius & Tanner) tamen (quidquid dicat in contrarium Vega, communiter ab aliis Theologis reiectus) vt Suarius loco citato, & Tanner addunt, est aliquis terminus intensiois, seu augmenti gratiæ, qui licet sit finitus, non possunt insi secundum ordinariam potentiam, ad illum perfectionis gradum peruenire: quia augmentum hoc, non sit nisi iuxta vires gratiæ, & auxilia, hæc autem non dantur hominibus sine mensurâ, sed iuxta certam legem à Deo statutam: vnde potentia crescendi ex illis consergens, limitata est ad aliquem certum terminum, saltem extrinsecum, quem Suarez num. 9. ait respectu omnium Sanctorum, & iustorum, esse gratiam B. Virginis, & Christi Humanitatis, & Ioannes Baptista, ac Apostolorum, & insignium Prophetarum, quam nemo alias attinget. Et, si verum est, quod docet Suarez, probabile esse Iosephum in gratiâ & gloriâ antecellere Apostolos, & Ioannem Baptistam, quia eius officium, illorum officio præcebat. Plus enim est esse Patrem, & Rectorem Christi (inquit nos Corneliu, idem sentiens) quàm præconem, & præcursorem eiusdem. Si, inquam, id verum est, etiam S. Iosephi gratia potest dici terminus sanctitatis, & gratiæ ab aliis acquirenda: præsertim, quia S. Ioseph (etsi id refutetur ab aliis) sanctificatum fuisse in vtero Matris censet Gerson. h. De Natiuitate B. Virginis, & 3. par. Alphab. 59. lib. 2. vbi ait id ipsum asseri in Officio Hierosolymitano.

Et hæc quoque causa est, cur Elias & Enoch per aliquot millia annorum viuentes non sint peruenturi ad altiore gradum gloriæ & gratiæ gradum, quàm fuerit in B. V. Mariâ, quia Deus illos prædestinauit ad minorem, idèò non dedit illis, nec dat illa gratiæ auxilia, quæ si per tam longum tempus dedisset, certò superarent iam plenitudinem gratiæ, quæ fuit & est in B. Virgine Mariâ.

Simili itaque modo etiam aliis Sanctis maximis,

5. argum.

l. 1. de nup. & conc. cap. 25.

l. cont. iul. c. 5. 78. Suar. l. 9. de gr. c. 7.

l. 12. mot. cap. 2.

in fin. diu. piet.

1. 2. q. 109. 4. 4. & in c. 8. cp. Roman.

de casto. conu. c. 20. col. 5. 3. p. q. 17. 4. 4.

To. 1. d. 1. q. 2. dub. 4. n. 14. & 130. Vegalio. in Trid. cap. 2. sum n. 8. Tanna. 171.

3. p. q. 29. disput. 8. sc. 1. 1.

ximis, eandem ob causam Deus non præbebit tantam gratiam, quanta est necessaria ad aufe- rendum ab iis totaliter fomitem peccati, ut hoc privilegium sit solum Christi, & Matris eius, si- cut & aliud cum eo connexum, ne unquam a- ctualiter peccarint. Dicit tamen Suarez, *Eliam, & Enoch; quamvis nunc non sint in statu merendi ex ordinatione Divinâ, eos tamen minime pati inordi- atos fomitis motus, nec illam corporis corruptionem, qua aggravat animam & sensum deprimit multa cogitan- tem. Quod pulcherrimè explicat S. Bernardus: Neque enim corpora, qua corrumpuntur, illas aggra- vant animas, aut terrena inhabitatio sensus eorum rã- quam multa cogitantes deprimit, qui cum Deo ambu- lasse noscuntur. Sublatum est impedimentum omne de medio occasio vniuersa sublata, materies nulla relicta est, que eorum affectum aggravet, vel deprimat intelle- ctum. Nam & priorem, (id est Enoch) ob hoc raptum scriptura commemorat, ne forte vincat sapientiam malitia, & intellectus eius, vel anima ultra decipi va- leat, aut mutari.*

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Qua in re situm sit passionum dominium: seu quid requiratur ad hoc, ut quis ve- re dici, & esse possit Dominus, & victor suarum passionum, & qui effectus se- quantur post acquisitum passionum do- minium?

Respondeo. Ad perfectum dominium nostram passionum, hæc omnino requirit, quæ legimus habuisse Dei servos, tum supra nomi- natos, tum alios.

81. *Primo, Ne unquam vlli inordinato motui passionis ad aliquod peccatum committendum allicientis, seu inclinantis, consentiant libero consensu; hoc est, ne illis placeat voluntariè vl- lus inordinatus passionis motus ad peccatum trahens, etiam si ipsum non placeret peccatum ad quod trahit. Elij Dei, inquit B. Laurentius Lustinianus, tanquam strenui bellatores quodam spiri- tuali vigore præcincti, super mentis sue vigilantes cu- stodiã omnes animi sui inordinatos motus, singulaque suggestiones immixtas in eorum corda per Angelos ma- los vniuersasque illecebras carnales impellentes ad faci- nus, in ipsorum initio, cum se menti representant in speculo reprimendo compefcunt. iuxta Propheta admonitione qua dicit: Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram. Idemque mysticè inquit: In matutino interficiebam omnes peccatores terre, ut disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

83. *Secundò, Ne unquam vllo passionis volunta- riè acceptato motu perducamur ad actum vl- lum peccati, ad quod passio inclinât. Sunt ali- qui, inquit B. Laurentius Lustinianus, quamuis non multi numero comparatione ceterorum, in omni virtute probati atque perfecti, qui pro consuetudine*

exercitatos habent corporis, & anima sensus: Hi quidem pugnam sentiunt, sed impugnatore nequaquam, etiam in paruis, assensum præbent.

84. *Tertiò, Ne vllam voluntariam negligentiam committant, in repressione, & frustratione pas- sionis, contra rectam rationem exurgentis, poit- quàm adueterunt eam exurrexisse quam carê- tes dominio passionum, etsi aliquo modo eam repellunt, non tamen ita uti deberent. Vacuum esse passionibus, inquit S. Diadochus, non est non im- pugnari à demonibus: aliqui oporteret nos sicut Apo- stolus ait, exisse ex hoc mundo, sed illud potius, ab illis impugnatum non expugnari. In bellatores enim ferro armatos iaciunt hostes sagittas, audiuntque ipsi iactus telorum, imò omnia fere tela in se emissa cernunt, non tamen feriuntur (feriuntur autem, qui negligenter resistunt passionum motibus: talis enim negli- gentia peccatum est vulnerans animam) propter armorum, quibus induti sunt, duritiam.*

85. *Quartò, Ne in illis exurgant, vel ordinariè, vel sæpe, etiam inuoluntarij passionum affectus, ve- hementer eorum mentem inquietâtes, & per- turbantes, eo modo, quò solet homines imper- fectos passio iræ, vel tristitiæ, & doloris diu & vehementer perturbare, ita ut non possint quod- dammodò liberari ab illis, & toto corpore alte- rentur diu, quandoque etiam cum detrimento sanitatis, & somni. Citat S. Thomas Aristotelem benè hac de re differentem: Quod non benè qui- dam determinant virtutes, impassibilitates quasdam, & quietes: quoniam simpliciter dicunt: sed deberent dicere, quòd sunt quietes à passionibus, qua sunt, ut non oportet, & quando non oportet. Et hoc sensu ait in- telligendum Aristotelem, dum alio in loco di- cit, Mittem esse, qui non patitur, scilicet, secundum passionem inordinatam, & inquietantem, ac perturbantem, quales nõ infestat dominos pas- sionum, qui per mortificationem earum, eas suo imperio subingarunt. Benè enim ait S. Ioannes Climacus: Initium quidem mortificationis, vel mem- brorum corporis, vel animæ voluntatis, labor est. Me- dium verò interdum labor, interdum requies: Finis au- tem, iam omni motus perturbatione, omnique laboris sensu vacat. Motus enim passionum in domino earum, non perturbant eum, nec excitant in- quietum sensum laboris. Imò quibusdam eti- am sensum quodammodo adimunt. Nam vt scribit S. Ildorog Pelusiota: Cælestis illa sedes, illa, inquam, bonus omnibus perfusa, molestis que omnibus inuisa, illa microris experta & latitia omnis parens, illa linguam & aures, ac mentem excedens, iis videlicet qui præsens vite certamen legitimè consecerint, prepa- rata, acerbis huius vite ne sensum quidem habere patitur. Illis autem sunt similes Domini passio- num, ut supra vidimus ex S. Chrylostomo & Theodoro.*

86. *Quintò, Ne passionibus etiam non vehemen- tibus, nec inquietantibus, sæpe & diu infesten- tur, & quasi illas non sentiant. Hoc affectus fuerat dilectus discipulus Iesu, teste S. Dionysio*

or. sup. 84. cap. 5. 2. q. 59. 2. 2. 1. 2. eth. cap. 3. ad prim. Topic. I. 4. cap. 5. gr. 4. col. 1. 1. 3. c. 107. 86. n. 4. 4. 62.